



## **Svmma Juris Canonici**

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,  
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,  
pertinent

Sive Antinomia Ivris Pontificii Et Cæsarei - per CCL. Differentias plurium  
Doctorum auctoritate probatas, singulari studio in certas classes reducta,  
discussa, & explicata

**Strein, Johann**

**Coloniæ Agrippinæ, 1658**

XCVIII. Differentia 8. Iure Canonico nati ex damnato coitu nun ossunt eligi  
ad Decurionatum, aliumve honorem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61864)

## DIFFERENTIA 3.

Iure Canonico nati ex damnato coitu non possunt eligi ad Decurionatum, aliumve honorem. *c. 1. de fil. presb.* secus est iure civili *l. spurij init. ff. De Decur. l. generaliter. §. Spurius quoq; cod. Bartol. 65. Io. Bapt. à S. Blasio. 164. Galvan. 81.*

**I** Decuriones dicti sunt, quod initio, cum coloniarum deducerentur, decima pars eorum, qui ducerentur, consilij publici causa conscribi solita esset. *l. 2. §. 5. ff. De verb. signif. l. 7. §. solet. ff. De interd. & releg.* Decuriones autem senatorum erant coloniarum, & municipiorum. Iurisconsulti enim duos hosce ordines in municipijs quasi contrarios numerant, plebeios, & decuriones. Ex decurionum autem ordine, item ut ex Senatorum Romae magistratus creabantur. *Paulus l. 7. §. 2. ff. de decur.* Decuriones quoq; dicti sunt in castris qui decem equitibus praesent. Denique generaliter appellari ceperunt principes, seu capita cuiuslibet ordinis. Et ordo ipse decuria vocabatur, ut decuria iudicum, scribarum, cubiculariorum, & simil. Inde decurionatus honorificum nomen.

De taliigitur & qualibet paridignitate in *l. 4. & 6. ff. de decurion.* legimus, spurius posse in ordinem adlegi nulla dubitatio est, sed si habeat compeditorem legitime quaesitum, eum praeferripotet. Item spurij decuriones fiunt, &

ideo fieri poterit ex incestu natus. Non enim impedienda est dignitas eius, qui nihil admittit, & indigni non sunt, qui alieno laborant vitio. *l. 7. C. de natural. liberis.*

**II** Canones quod attinet, capituli primi *de fil. presb.* summa haec est, ut filij presbyterorum, & caeteri ex fornicatione nati ad sacros ordines non promoveantur, aut monachi fiant, aut in congregatione canonica vivant: praelationes vero nullas habeant. Quibus tamen gratiam facere poterit episcopus, quoad minores ordines, & simplex beneficium. Ad maiores enim ordines solus dispensat summus pontifex. *c. 1. De fil. presb. in 6. Lancel. l. 1. Inst. tit. 20. Canis. l. 1. Summa. tit. 7.*

Nota praedictos differentiae huius auctores *Bartolum, Ioan. Bapt. à S. Blasio. & Galvanum* praelationis nomine Decurionatum comprehendere, ut à pari argumententur.

\* \*

\* \*